

PROLOGUS.



Si quod est officium, quod vel DEUS rectissime a creaturis exigere, vel a nobis ad eundem redire potest, certe hoc fuerit, quo & majestatem ejus reverenter habemus, & dignis subinde laudibus celebramus. Nec enim creaturam ratione præditam decere quid magis potest, quam & auctorem bonorum, queis utitur, agnoscere, & acceptorum memoriam retinere, & beneficiorum magnitudinem prædicare. Est igitur cultus divini non contemnenda pars, quam optimus quisque, DEIque amantissimus, hoc promptius præstat, quo certius debet. Neque tamen in his talibus, prout suus quemque impetus capit, versari licet; quin imo in carminibus vel concipiendis, vel examinandis, vel adhibendis, cauto ac prudentia opus est, ne, dum venerari DEUM, & ædificare Ecclesiam studemus, offendamus utrumque, veritatem vero divinam, pro eo, quod tueri ac defendere debebamus, etiam non opinantes ac inscii, corrumpamus. Et hanc quidem, qua cautiones, prudentiam paucis in præsentia, hinc observationibus, hinc regulis, includemus, quibus deducendis immortalis DEUS, pro magnitudine suæ bonitatis, successus prosperos largiatur!

Thef. I.